

1571 quam se dedere hosti , voluere . Idem ardor , eadem voluntas in Tamassi propugnatoribus viget ; quibus si , uti oportet , subsidia immiserimus , non modo se adversus hostes tueri , sed quidquid amissum Cypri est , recuperare poterunt . Demum tardiora ab Hispanis subsidia adventasse minime inficias iverrim . At quæ tunc ex Regis propenso in Rempublicam animo tantum effluxere ; modo ex vinculo fœderis , ex jurejurando , cuius vis sanctissima esse solet , nobis expectanda erunt : neque ex Aurie voluntate maximarum rerum deliberationes , ac momenta pendebunt , sed ex classis ducibus ; Joanne Austriaco , regio juvne fortissimo , atque ad gloriam orto ; Marco Antonio Columna , cuius in Rempublicam studium , ac fidem experti fuimus ; atque ex Sebastiano Venerio , nuper a vobis imperatore creato , cuius vividam virtutem , atque ad magna quæque peragenda ingenium optime nostis . Commemorremne ea , quæ ex Philippi legato audivimus : militum undique in suis ditionibus delectum habitum ; octoginta triremes , ac naves viginti paratas esse ; Joannem Austriacum iter in orientem moliri ? Amplectimini , per Deum immortalē , præclarām vobis oblatam occasionem , qua & sarcire præteritadonna potestis , & majoribus nostris ab Ottomanis Regibus ereptas urbes , atque oppida recipere , ac summa cum gloria christianos populos , qui ad vos manus attollunt , opem vestram , atque auxilium implorant , a miserrimæ servitutis vinculo eripere , christianamque religionem ab iis per summum scelus convulsam , ac fere extinctam , iis in regionibus restituere , quæ quondam sanctissimis Christi institutis , ac legibus floruerre . Ne corrumpi queso sinite tot egregias spes , tam vehe mens christianorum Principum studium , tam enixam in cunctis populis voluntatem ; neve dubiam , fluxam , insidiosam pacis umbram atque imaginem sanctissimo huic fœderi antevernite , ad quod Pius , vir plane sanctitate , ac pietate insignis , Philippus Catholicus Rex invitant , atque hortantur ; Deus quoque Optimus Maximus tacito quodam instinctu vocat , incitat , ac fere trahit .

Cum Theupolus perorasset , Andreas Baduarius , maturæ prudentiæ atque eloquentiæ laude præstans , hunc in modum fere respondit . Eos , qui difficillimis in rebus versantur , ac

velu-